COROLLARIA.

I.

Juxta normam *instrum. pac. Westphalicæ art. 5. §. Jus Diœcesanum 48.* Dominis territorialibus catholicis in subditos Protestantes competit quoque Jurisdictio Ecclesiastica.

II.

IMpetrata revisione non excluditur remedium restitutionis in integrum, si novæ probationes in cursu revisorii fuerint inventæ.

XIV.

~~DISSERTATIO~~

~~DE~~

ANACEPHALÆOSIS EXEGETICA PRINCIPIORUM JURIS PUBLICI ROMANO-GERMANICI

IN

HENRICI de COCCEII JURIS PUBLICI PRUDENTIA EXHIBITORUM,

PRÆSIDE

JOANNE FRIDERICO HERTLING,

JCto, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Palatini Regiminis & Collegii Revisorii Consiliario, nec non Pandect. Professore Ordin. Facultatísque Juridicæ p. t. Decano,

PRO LICENTIA

defensa à

JOH. WILH. FRID. JOSEPH. de WILDERER,

DÜSSELDORPIO-MONTANO.

HEIDELBERGÆ, 1724.

REX

REX

THeodoricus Re & Nomine Primus Ostro - Gothorum sive Gothorum Orientalium in Constitutionibus suis Cap. VII. non minùs Gloriosè, quàm Religiosè:

Quanquam Potestati Nostræ, DEO FAVENTE, subjaceat omne, quod volumus, Voluntatem tamen Nostram RATIONE metimur, ut illud magis æstimemur elegisse, quod Cunctos dignum est approbare.

Thesis I.

JUS publicum ROMANO - GERMANICUM ad differentiam Juris publici UNIVERSALIS, quod ex rectæ rationis dictamine, principiisque naturalibus, H. Grot. *de Jure B. & P. Libr. I. Cap. III. IV. & V.* Puffendorff. *Aliisque Naturalistis* haustum & depromptum fertur, ad Statum & Formam Rei Romano- Germanicæ pertinet, quâ Jura Officiaque cùm Regis, tùm Procerum & Subditorum Germaniæ, ceu Clar. Author. Noster *Cap. VII.* §. *4. & 5.* plusculisque locis latiùs declarat, diductiusque exequitur, continentur, æquè, ac cujusque Regni & Reipublicæ, Hispaniæ, putà, Galliæ, Britanniæ, Daniæ &c. proprius est status, exindéque PARTICULARE Jus Publicum, salutem istius directò & principaliter intendens actionésque publicas eò dirigens enascitur & deducitur; Quot enim legitima Imperia, tot etiam jura publica. Rectè id species audit & pars Jurisprudentiæ, cùm vim coactivam refractarios compellendi habeat, Non Politices, quæ ad singula se non dimittit, sed in communi de illis saltem & generatim tractat, quid decernendum: quid observandum: quid immutandum etiam in Republica sit: differentis præterea ab illa quatuor modis formâ, scilicet, medio, fine atque effectu.

Thes. II.

Tractandum quidem istud, judice Cl. Authore, in Academiis esse, ac non controversandum de eo, quod publicâ lege decisum, Tabulæ Pacis Osnabrug *Art. V.* §. *50. dictitant*; Arguendum hinc id vel taxandum vetat *l. 3. C. de Crimin. Sacrileg.* Non revelanda aut producenda quoque Imperii Arcana, vel Rationes Statûs esse evulgandas, sapienter monet Becker, *Synops. Jur.*

Jur. Publ. in Proœm. §. *1.* Vel quid in ejus præjudicium Exteris, putà, Populis in Germaniam iniquè concedendum; Aut huic jura verè competentia disputando perfractè præposterèque reddenda dubia; At *Capitulo 36. X. de Sentent. Excommunicat.* à Cl. Authore allegato, vel nudo verborum cortice ostendente, ne hili quid horsum faciente; cùm hoc de Excommunicato, qui in Clericum etiam volentem manus injecerit violentas, etiamsi hoc in satisfactionem acceperit injuriæ, loquatur; Cujus hæc quoque est ratio, quoniam hujusmodi manûs injectio etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cùm Canoniste non tam in Clerici patientis ordinati, quàm Ordinis ipsius Clericalis potiùs favorem promulgatus sit,

Thes. III.

JUS nostrum publicum æquè, ac privatum in SCRIPTUM & NON-SCRIPTUM rectè dividitur? ILLUD Legibus Sanctionibusque Pragmaticis Imperii, quas Cl. Author hoc *Cap.* I. enumeratas habet; Exceptis quibusdam Imperii Recessuum Capitibus, quæ singulorum, Procerum etiam, non Universi Imperii causas respiciunt, quorum, inter alia illustre in jure repræsentationis Fratrum liberis concedendo exemplum Constit. Carol. V. *de anno 1521. & 1531.* præbet, Complusculaq; Alia istiusmodi generis Instrumentum Pacis Westval. suppeditat. Ad HOC referenda Consuetudo, Usus, Praxis, & Stylus. Quo de inter cætera Cl. Noster *Cap. XXIII.* §. *15.* videndus; cui Illustr. Dn. de Ludolff *Tr. Suo Absolutissimo Commentat. Systematic.* de Jure Camerali, &c. meritò jungendus.

Thes. IV.

Fundamentali autem Lege Imperii mutatâ non Imperii Forma, nedum Imperium ipsum, illicò tollitur. At Illa, ad variam Reipublicæ Formam, vel, A SUMMA POTESTATE validè constituitur, ubi scilicet pleno Proprietatis seu Ditionis & Imperii Jure, Rex Imperium v. gr. justo bello quæsitum habet; aut in Cujus, Quorúmve Ditiònem populus aliquis, majoris mali vitandi causâ, ita se dedit, ut nihil exciperetur; Consequenter istud pleno modo, Grotio ita exprimente, possidet, adeò, ut, in Imperio isto, ne quidem discernatur SEXUS, quemadmodun in Ægypto olim & Britanniâ factum videmus,

Nullo discrimine SEXUS
Reginam scit ferre Pharos.

Ait Lucanus: de Britannis Tacitus, *Neque enim* SEXUM *in Imperio discernunt*; quod & Historicis haud ignotum; Nec ADOPTIO, naturam & in hoc imitans, defectúmque naturalis sobolis supplens, obstet: Sic Johanna I. Regina Neapolitana primò Alfonsum, deinde Ludovicum. Margaritha Daniæ Sueciæque Regina Ericum Pomeraniæ Ducem. Augustus Tiberium, Tiberius Germanicum, &c. in Regna adoptavêre. Et quis nescit, Ferdinandum II. à Mathia Augusto adoptatum fuisse? Vel Partûs Nothi ILLEGITIMITAS impedimento sit, prout Exempla Successionis Illegitimorum identidem extant varia: sic Alphonsus Arragoniæ Rex in Filium Nothum Regnum Neapolitanum, quod armis sibi acquisiverat, transtulit, test. H. Grot. *de J. B. & P. Lib. I. Cap. III. §. XI.* nec non *Libr. II. Cap. VII. §. XII.* ibique Gronov. & Tesmar. Alia utriusque Exempla præclara affatim allegantib. Sed & CONVENTIONE PRINCIPEM INTER ET POPULUM PER CAPITULATIONIS VEL PACTI RATIONEM INTERCEDENTE id fieri, docet Puffend. *de J. N. & G. Lib. VII. Cap. VI. N. 10.* quod laudatus Grot. *d. l.* de certo Imperium habendi modo etiam intelligit: *Hæc*, ait, *Alii habent jure pleno proprietatis; Alii jure usufructuario; Alii jure temporario. Quamvis enim à Deo conferantur imperia, nihil tamen est impedimento, quo minùs certam Regiminis formam sibi constituat populus, approbante Deo qualecunque Regimen, quod naturæ & rationi non repugnat.* allegat. antea Puffend. *de I. N. & G. Lib. VII. Cap. VI. N. 9.* Vel INITO ETIAM CUM EXTRANEIS FOEDERE; Ita, ut neutra pars absque alterius consensu quicquam, Verbi causâ: *Bellum* suscipere, aut Pacem cum Hoste inire, & id genus alia intendere, celebratéque queat; quod Exemplis horsum maximè quadrantibus illustrat Ruland. *de Commiss. P. IV. Libr. II. Cap. III.* nec non Knipschild. *Tr. de Jurib. & Privileg. Civit. Imperial. Libr. II. Cap. V. N. 184.*

Thesis V.

Territorium non tantùm ipsum sed quicquid & Rerum & Jurium eo continetur, MATERIAM Juris Nostri Romano-Germanici Publici OBJECTIVAM, tradente Cl. Authore *Cap. IX. §. 14. & seqq.* constituit, adeò, ut istud duplex sit: Territorium Romanum ac Germanicum (utpote ab illo nunquam subactum, sed planè diversum.) Romanum autem, ab Ortonum ævo (Ottone I. Scil. ad comprimendam Regum Italiæ Tumultuariorum Tyrannidem à Summo Pontifice Populóque Romano per Legatos in auxilium vocato,

vocato, illisq; æquè, ac ante à Carolo M. Longobardis gloriosissimè devictis, Utroq; exSummi Pontificis PopuliqueRomani voluntate, intervenienteq; pacto Romæ Imperatore renuntiato & inaugurato, cujus rei Historia loquitur apud Lehman. Chronic. Spirens. *Lib. II. cap. XI. & Libr. III. cap. XXIV.* vers, Vom Käyser Ottone dem Ersten wird geschriben unterm Jahr 952. &c. Nec non *Libr. V. Cap. X.* vers. Anno 962. Als Kayser Otto in Jtalien gereiset, &c.) Germaniæ perpetuâ Lege innexum, & Territorii Populus.

Thes. VI.

Territorium istud vel ut PRINCIPALE Ipsa scilicet Germania, vel tanquam ACCESSORIUM respicitur, quod, tùm Provincias Regno incorporatas Jurium Suffragiorúmque Imperii participes, veluti *hodie* omnes Provincias Slavicas Orientales æquè ac Boreales Marchiam, putà Brandenburgensem, Ducatum Pomeraniæ, Mecklenburgi; item Marchionatum Misniæ, Silesiæ, Lusatiæ & Regnum Bohemiæ, tùm eas, quæ Imperio tantùm Jure fœderis inæqualis seu subjectione impropriâ cohærent, ut olim Hungaria, Gallia, Italia, Arelatenses sive Burgundicæ Terræ, quæ & illo, & hoc ævo proprias tamen separatásque à Germaniâ Regiminis rationes habuêre, complectitur; unde Cl. Authoris sententiam, quam *Cap. VII.* §. 7, denudat, nimirum: *Aliquos intra fines quidem Germaniæ in Status Imperii, vel in Jus Nationis receptos non esse veluti Bohemiam*, &c. subsistere haud posse, cuivis paulò pensiculatiùs rem consideranti facilè patebit.

Thes. VII.

AD hæc, Provinciæ Regni Germanici Quædam IMMEDIATÆ, ut Franconia & Terra Rhenensis (quæ duæ Regnum Franciæ immediatè constituerunt) Suevia item atq; Westvalia; Quædam MEDIATÆ sunt, ut Bavaria, Saxonia, Marchia, Omnésque Terræ Vandalicæ & Moravicæ; Hæcq; divisio majorem uberioremque usum, *hodie*, quàm *olim* ante Interregnum scil., præbet, ubi Omnes Im-& Mediatos Comitiis interfuisse Cl. Auth. *Cap. XX.* §. *13. 14. & 15.* luculenter ostendit & probat. Porrò istæ in superiores & inferiores, die Ober- und Unter-Lande, GENERATIM non incommodè dividuntur; ut Idem Cl. Noster *Cap. IX.* §. *7. & 10.* egregiè docet, Effectum istius divisionis simul peraccuratè ostendens. Sub illis, denen Ober-Landen, Terræ, Francici seu Suevici Juris comprehenduntur.

tur. Hisce, verò, denen Unter-Landen, eæ innectuntur, quæ (ut Celebrat. Noster loquitur) ad Jus Provinciæ Saxonicæ pertinent; vel rectiùs, quæ, secundùm sententiam Sprengeri & Limnæi, quos Cl. Auth. in contrarium *Cap. XVI.* § *9.* allegat, *Saxonico Jure* utuntur. Quod & Sanctioni A. B. *Tit. V.* verbis *In his locis, ubi Saxonica Jura vigent.* prorsus conveniens, magis arridet. Facit præterea Speculum Suevicum *Libr. II. Cap. VIII.* §. *3. pag. 118.* mentionem quoque der Oster-Landen verbis: Alle die oberhalb des Oster-Lands von dem Reich belehnt, oder des Reichs Dienst-Mann seynd, die sollen dienen zue Winden, zue Bohlen, zue Behem. Istæ, Oster-Landen, autem, trans Salam pars Germaniæ Superioris & *singulariter* Thuringiæ, quà hæ ad Orientem vergunt, Ost-Thüringen sunt, conferatur desuper Schilt. *ad Jus Feudal. Alemanic. Cap. VII.* §. *6.* Bimembrem hanc Provinciarum Germaniæ divisionem Cl. Noster deinde ad partem ejus immediatam SPECIATIM *Cap. dict. IX.* §. *1.* applicat; Illæ, die Ober-Lande, ait; continent Sueviam & Franciam: Hæ, die Unter-Lande, Terram Rhenensem cum Westvalia, & Wetteravia; singularèmque ejus effectum cùm maximè in Comitiis vigentem servarique solitum *seq.* §. *9.* distinctè accuratèque subjungit.

Thes. VIII.

FORMAM Imperii Romano-Germanici, autem, quod concernit (de quâ per transennam supra tantùm visum) ex triplici Populari, Optimatum & Regio Statu mixtam vel temperatam toto *Cap. VII.* infra peraccuratè evolvit, & considerat Cl. Noster, ibique §. *11.* notanter addit. *Status non recipiunt à Rege leges, sed communi consensu statuunt ex Formulâ:* haben Sie sich mit Uns, und Wir Uns mit Ihnen verglichen; & quidem Contracts-Weise, Erklärung des Lands-Friedens zu Augspurg, *de Anno 1500. in fine. Princ.* Etiamsi Major Pars tantùm consenserit, Minor, autem, dissenserit, prout Cl. Auth. *Cap. XX.* §. *38.* ad dubium istud moveri solitum: Quomodo Pars Collegii Minor cum Majore non consentiens contraxisse dici possit? appositè respondet: *in publicis*, ajens, *Major pars obtinet; uti in omnibus Curiis, & Collegiis Publicis consensu majoris partis deciditur*: Quam mixturam tamen ad negotia Comitialia, de quibus Status Universi cum Imperatore deliberant, & Jure suffragandi utuntur, adeóque ut Universi in Corpore considerantur; quorum summam Idem *Cap. XX.* §. *29. 30. 31. 32. & 33.* copiosè exhibet, remur, potissimùm esse restringendam.

dam. In cæteris, verò, Regiam vel Imperatoriam Potestatem illâ, quæ Statuum est, potiorem majorémque esse, cùm ibi ut singuli veniant, Cl. Noster *Cap. XXI.* §. 7. aliisque locis egregiè ostendit, unde illa Publicistarum parœmia: *Universos cum Cæsare imperare, Singulos autem parere.*

Thes. IX.

CL. Author, præterea, EFFECTUM Juris Publici in Potestate legitimâ Obligationeque illi parentium respondente ponit; Utramque vel Imperantes inter & Parentes, nec non Rempublicam, vel Extraneos intercedere, ait; verùm, re accuratiùs perpensâ, existimamus, Tria illa præcipuè Jura Regalia Belli & Pacis, seu Legationum & Fœderum non ad Jura (ut vocant) TRANSEUNTIA: sed ad Regalia Jura, quæ dicuntur IMMANENTIA, longè certiori Calculo referri; eáque inter Imperantes solùm & Parentes ejusdem Statûs seu Reipublicæ vigere & obtinere; Non verò Reges vel Populos liberos extraneos vel pares sive similes respicere.

Thes. X.

FINIS Juris publici in Imperio Romano-Geramnico constituti proximus ac proprius JUSTITIA est, quæ, non nisi Jurium Imperii bene cognitorum ad negotia obvenientia, Statum & gubernationem Ejusdem concernentia ingenuâ commodáque applicatione obtinetur, ad quæ Jura tanquam ad Helicen & Cynosuram actiones judiciales probè dirigi debere, præter innumera alia loca, *Artic. XVII.* §. 2. J. P. W. verba instar omnium manifestè innuunt, sanciúntque: *pro Majori etiam horum omnium & singulorum pactorum firmitudine & securitate sit hæc Transactio Perpetua Lex & Pragmatica Imperii Sanctio*, &c.&c. Obligans non minùs absentes, quàm præsentes, Ecclesiasticos æquè ac Politicos, sive Status Imperii, sive non, sint, (ut Imperii Nobilitas Immediata, Communitates Immediatæ, cæteríq; privati) Eaque tam Cæsaris, procerúmque Consilariis & Officialibus, quàm Tribunalium omnium Judicibus & Assessoribus, tanquam Regula, quam perpetuò sequantur, præscripta, adeò, ut hinc FINIS Ultimus Reipublicæ, putà, Salus, Pax, atque Publica Securitas & Tranquillitas longo cum effectu succedat perdurétque.

Thes. XI.

Quantùm ad JUS ALBINAGII, quod *quasi alibi Natorum*, Galiciè LE DROIT D' AUBAINE dictum, cujus Cl. Author *hic & seqq. Cap. VII. §. 7.*, nec non *Cap. XXXI. §. 27.* ulteriùs mentionem injicit, in Jure Privato s. Communi adeò non obtinere Text. *L. 17. ff. de. Stat. Hom.* ibique Brunnem. quâcum notissima illa *Novell. LXXVIII.* ejusque *Cap. V.* prorsus convenit, satis supérque evincit; Verùm in publicis Juribus, ejúsque Officiis, Dignitatibus & Comitiis nec non Jure Provinciali & Municipali S.Scripto, s. non-scripto, ubi nimirùm Civitates Quædam & provinciæ diverso utuntur Jure, hoc ab altera adversùs partem alteram, argum. *Tot. Tit ff. Quod quisq; Jur.* &c. *Talionis Jure* mutuò retorqueri, religiosè semper cultum observatúmque fuisse, asserit Cl. Author, plurifariisque exemplis id Schilt. de *Jure Peregrin. §. 19. & seqq.* nec non Müller in Struv. *Ex IV. Th 84. lit. a.* egregiè illustrant & confirmant. Quibus meritò ea, quæ subsequenti *Capit. XIII. §. 53.* de Censu Emigrationis & Detractionis accommodè tradita, junguntur; *Exigi tamen*, ait Cl. Noster, *ibi potest ab iis quoque, qui jus non habent, Jure Retorsionis. Et contra ne ab iis quidem peti potest, quorum jus est; ex privilegio novi domicilii*, wan der Orth freyzügig ist; De quo pactionibus mutuis communiter hodie inter conterminos vicinósque Imp. Status, & alios Immediatos vitandi majoris incommodi gratiâ (etenim, Juvenali *Satyrâ XV.* taxante:

Inter finit imos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.)

Caveri solet. Ejusdem ferèest sortis, cujus intuitu Recess. Imp. *de Anno 1594. §. 82.* ut motibus intestinis, quibus per istiusmodi Arresta perfacilè datur ansa, eò meliùs obviaretur, publicæ securitatis causâ, sequentibus disertè disponit: Und so viel die ungleiche Meynungen und Verstand des Worts Arrest, &c. Vers: Und ad licita de Jure permissa Arresta, welche ratione Contractûs confessati, rei judicatæ, pacti, transactionis, consuetudinis, privilegii, auch NB. gewöhnlicher herbrachter Nachsteuer, Abzug, rechtmäßig erlangten und gewöhnlichen Zolls halben sich zutragen möchten, nicht zu extendiren seyen, &c. &c. Nec aliorsum vergit, abindéque alienum haud vide-

videtur, quod abundantioris cautelæ ergò ad majorem tranquillitatem etiam Instr. P. W. *Art. V.* §. *37.* sancitum, ut & inhibitum est, Vers: *Neque sive voluntariè sive coactè emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, manumissionis, noti opificii, honestæ vitæ testimonia denegentur, aut iidem reversalibus inusitatis vel decimationibus substantiæ secum exportatæ* NB. *plus æquo extensis prægraventur*, &c.

Thes. XII.

Jus Civitatis Germanicæ, autem, vel PROVINCIÆ vel PERSONÆ competere, exemplo à Bohemiâ Ejúsque Rege desumpto probare intendit Cl. Author; Verùm, cum Thes. præced. VI. jam allegatum, Regnum Bohemiæ Provinciam quidem Slavicam, at non minùs Jurium Imperii participem esse, prout Duces, postmodumque Reges Bohemiæ: enarrante Cl. *Cap. III. Sect. IV.* §. *55.* vers. *Quin (3)*, ait, *quod summum Imperii est, Reges à Germanis accepêre. Ita Bohemis Uratislaum Henricus IV. in Concilio Principum Regem constituit; &c. Uladislaum Fridericus I.*, pridem Ante A. B. à Sæculo duodecimo, Anno, putà, 1290. 6. Kalend. Octobris Archi-Pincernatum, & Electoratum administrâsse, proximúmque Illis ab Electoribus Ecclesiasticis locum concessum fuisse, Eósque Conventibus Regni Teutonici interfuisse, A. B. *Cap. IV. & Ult.* dubitare non sinunt; Quibus loca omninò congrua singulariaque apud Cl. Auth. *Cap. III.* §. *56. 64.* nec non *Cap. IX.* §. *12. & Cap. XII.* §. *8. 14. 15. 16. 17.* extantia multum luminis affundunt. Haud officiente, quòd dictum Regnum Bohemiæ per aliquot temporum intervalla Jure suo, ob valde molestam tunc temporis Comitiorum frequentationem, uti desierit; Quamobrem Bohemiæ Regem ab Imperatore Friderico II. peculiari privilegio: Ne Hic Comitiis Regni Germanici nisi Norimbergæ, Merseburgi, aut Bambergæ habendis interresse obstrictus sit, beatum fuisse, tenent, tradente Hertio *Vol. II. Opuscul. Tom. I. de Renovat. Romano-Germanici Imperii & Regni Bohem. Sect. II.* §. *6.* Aut varias politicas ob causas istud Regnum impeditum fuerit; Juri, quippe, suo Comitiorum pristino Anno 1708. 30. Jun. postliminiò restitutum, inque Collegium Electorale reintroductum; Et quidem eâ lege & pacto: Ne aliis ejus privilegiis, libertati, prærogativæ antehac gavisis fraudi aut damno sit; Bohemiæ proinde Rex tot onera ferat, quot alius Elector, ac præterea ad Sustentationem Judicii Cameralis 300. flor. annuatim exsolvat. Conclusum commune Beyder Höcherer Reichs-Collegiorum abundè testatur Verb: So ist ferners beschlossen

schlossen worden, daß ihrer Kayserl. Majest. zu allergnädigstem Belieben frey zustellen seye, wie und wann Sie, vermög Dero habenden undisputirlichen Rechts und Befugnuß, Ihren Böhmischen Sitz und Stimm durch eine eygene genugsamb bevollmächtigte Gesandschafft begleiten, und in allen deliberationibus im Churfürstl. Collegio bey ordinari und Extraordinari Zusammenkünfften, Reichs-Deputationen, Collegial- und anderen Tägen verführen; hingegen aber auch zu allen Reichs- und Krays-Oneribus & præstationibus publicis, auch anderen Anlagen, für nun wenigst ein Churfürstl. Anschlag, und 300. Cammer-Gülten zum Cammer-Gericht, Ihren Privilegiis fori: Ne sc. subditis Regni Bohemiæ ad summa Imperii Tribunalia, vel, ob protractam aut denegatam Justitiam etiam vigore Tit. VIII. A. B. provocare, fas sit: Conferat. Blum. *Tit. XLVII. de Privilegiis D. D. Electorum, Aliorumque Imperii Statuum &c. Tabul. I.* Jedoch ohnnachtheilig, übernehmen, und in allen Anlagen bezahlen zu lassen; Atque hanc Conclusionem introductio Legatorum Regis Bohemiæ secuta, prout Scripta Junctâ relatione istiusmodi Actus solennis in vulgus edita probatum testatumque reddunt, in hæc verba; Gegen sechs Uhr Abends wurde dem Herren Böhmischen Gesandten zu Rath angesagt, welcher dann auch unter Bedienung des Herrn Cardinals Livrée und Kutsche mit 6. Pferden bespannet, erschienen, und weil es nur nur eine refrequentatio Collegii gewesen, gienge er gleich anderen Churfürstl. Gesandten in die Raths-Stuben, und wurde nur ein paar Schritt weit derselbe vom Herrn Chur-Mayntzischen in der Raths-Stuben empfangen, und Ihme Seine Stelle à Latere dextro zwischen Chur-Mayntz und Chur-Pfaltz angewiesen, und also in Sessione Solenni über die Introduction Chur-Braunschweig votiret; Nach Endigung dieser Deliberation wurde durch das Marschall-Ambt Chur-Braunschweig ebenfals zu Rath angesagt, welcher darauff gegen 8. Uhr in einer mit 6. Pferden bespanten Kutschen und zierlichen Auffzug erschienen. Der Herr Chur-Mayntzische empfienge denselben etliche Schritt ausser dem Vor-Zimmer, und begleitete Ihn also in die Raths-Stuben, woselbst Er Ihme die letztere sonst von Chur-Pfaltz innen gehabte Stelle à latere sinistro angewiesen.

Thes. XIII.

Quantum ad PERSONAM REGIS ulteriùs dubitat & notat Cl. Author Electum in Germanorum Regem, discrimine nullo peregrinæ Patriæ (uti tempo-

tempore Interregni Magni diversis vicibus contigit) servato; Non verò Germanum Principem in Regem Bohemiæ creatum Jus Civitatis Teutonicæ consecuturum; Verùm suprà jam adductum abundèque evictum, non tam PERSONÆ, quàm PROVINCIÆ, quæ Germanico Jure gaudet, rationem haberi; Quare Specula illa duo Sue v. & Sax. quæ Cl. Auth. *Cap. XI.* §. 12. verbis: Denn die 4. Layen-Fürsten sollen Teutsche Mann von Vatter und Mutter ꝛc.; nec non *Cap. XII.* §. *15.* der Künig in Böhem, weil Er nicht Teutsch ist. Item: weil Er nicht Ein Teutscher Mann ist. In suî sententiam allegat, eò minùs (præsertim hodie, vel etiam à Seculo duodecimo, quo Rex Bohemiæ Archi-Pincerna & Elector Imperii à Principibus Germaniæ renunciatus, ipsóque ità facto peregrinatas remissa) quid negotii facessere, quò certius, Ista à privatis, iisque incertis Authoribus composita consignataque esse; Consequenter illa Juris Authoritate carere; sed & fidem Historicam, evincente Thes. Præced. XII. potiore probandi vi pollere, Schilter. *ad Jus Allemann. Cap. X. &. CV.* Aliique Celeberrimi Nominis DD. extra omnem dubii aleam ponunt.

COROLLARIA.

I.

DUbia: Anne Imperium Regalibus annumerandum sit? Et eo contineatur Superioritas Territorii? sub distinctionis fœdere dirimenda, remur.

II.

Numne, uno Remedio v- gr. in integrum Restitutionis electo, ad Appellationem detur & supersit regressus: Vel Revisione institutâ, Beneficia juxta Mevium *P. V. dec. X.* Statuto, Constitutione aut Consuetudine introducta Restitutionis in integrum, alicubi Repositionis nominatum, Nullitatis vel Syndicatûs, & id genus alia exclusa sint? Varia quidem DD. est opinio. At re pensiculatiùs consideratâ, prius affirmandum: posterius verò negandum, existimamus; Prout in Notis suis ad Cl. GAILII Libr. I. observat. CLIII. proximè tertiùm proditurís prolixiùs deduxit Nob. Clariss. & Consultiss. D. THYLLIUS. &c.

III.

ANnon, deficientibus omnibus Remediis Provocatoriis, ab Imperatore *malè* informato ad Imperatorem *meliùs* informandum appellare concessum? Quod citra Juris rationem, sæpiùs quidem tentatum, sed à Consilio Imperiali

Aulico denegatum, atque Anno 1628. ità Decretum: Daß Ihro Kayserl. Maj. die Appellation à Cæsare *malè* informato ad *meliùs* informandum, als nichtiglich und straffwürdiger weise eingewand, die auch an sich selbst null und nichtig, von Kayserlicher Majestät Macht hiermit cassiren und auffheben. Quam Communem in Imperio & Praxi receptam Sententiam laudat Dn. ab Uffenbach Tr. *de Excelsissimo Cæsareo-Imperiali Aulico. Cap. XXIII. Sect. IV.*

IV.

EAdem ratione nec ab Imperatore ad Imperii Status, vel ad Imperatorem & Status simul appellare licet.

V.

SUpplicationem Supplicationis sive Revisionem Revisionis, vel, ut vocant, Super-Supplicationem, s. Super-Revisionem ne quidem eo casu dari: ubi Revisus, sive is, pro quo sententia lata, in revisione verò reformata, fuit, Revisionem quærit, cùm Juxta *L. 5. C. de Precib. Imperat. offer.* post Supplicationem alia Supplicatio non admittenda, litiúmque finis promovendus sit, certiore tenemus calculo.

VI.

REgnum Germaniæ verè est, & dicitur Aristocratico-Democratico-Monarchicum.

VII.

PRincipibus Novemviris Minoribus (excepto tamen secundùm *quosdam* Rege Bohemiæ) Singularis tutela constituta est, ad administrandum, non Principatum, sed Jus Eligendi Imperatorem, & omnia inde pendentia.

VIII.

LIcèt de Jure communi Feudali Dos non sit onus Feudi, moribus tamen Germaniæ illa, ut & Alimenta in Familiis Illustribus è Territorio, adeóque à quovis Successore debentur, & recipiuntur.

XV. DIS-